



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 1. Conuitiantes conuitia paßi, quibus rebus similes?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

*nifestam edacitatem ebriositatemque cognoueris,
 & ita reprehenderis, quasi numquam illa possit
 corrigi atq; mutari, nihilominus temere judi-
 cabis. Non ergo reprehendamus ea, qua nesci-
 mus, quo animo fiant; neq; ita reprehendamus,
 qua manifesta sunt, ut desperemus sanitatem.
 Euitabimus iudicium, de quo nunc dicitur:
 Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.*

CAPVT VII.

Oris, & Maledicentia talio.

§ I.

*Conuittantes conuittia passi, quibus rebus
 similes?*

Hesychius testatur, vulgari olim
 sermone fuisse iactatum, quod, qui
 inspuerit in agmen formicarum,
 si labra intumescerent. Hoc, seu verè fit,
 vt ex halitus repercussu virus aliquod affi-
 ciat conspuentis os, seu temerè credatur;
 torqueri solet in eos, qui multitudinem im-
 becillum quidem, sed tamen numerosam,
 & concordem prouocant. Ego existimo,
 id quadrare in omnes, qui alios verbis læ-
 dunt, ac velut despuunt, seu consilijs malis,
 seu sarcasms amaris, seu conuittijs & sibi-
 lis,

lis, seu detractionibus, calumnijs, falsis testimonijs, prodicionibus, aut quibuscumq; linguæ venenis eos aspergant. Asperguntur enim & ipsi, & velut repercussu inficiuntur, Deo parem calculum ponente. Itaque multi, cum alijs maledicunt, sibiipsis conuitium faciunt. Pauci enim sunt, qui verbum aculeatum audiant patienter. Vt Olympiæ porticus vocem acceptam arte septies reddit, vnde heptaphonon oppidani vocant; ita quosdam si vno tangas conuitio, sexcenta regerunt: aut si paucis ad loquendum pro-uoces, in te garriendi finem non faciunt. Ad hoc & vitia, & vitiosos permittit esse in mundo Deus, vt & vitijs & vitiosis reponantur. Hinc illa Poëtarum:

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.

Si pergit, qua vult dicere, qua nõ vult audiet.

Benedictis si certasset, audisset bene.

*Desinant maledicere, male dicta ne noscant
sua.*

Itaque vt hanc scias esse à malitia hominum talionem, *Contumeliam si dicas, audies.* Vnde non solum periculosè maledicit alteri, cui vel idem, vel simile, vel diuersum, vel deterius vitium potest obijci; sed etiam qui nullius sibi vitij conscius est: quia etiam vbi

Plin. l. 363
cap. 15.

Homeri
Iliad. V.
Terent.
in Andr.

vitium deest, facile potest fingi conuitium. Permittit hæc iustissimè mundi Gubernator. Paribus enim digni sunt vitiligatores. Et multi maledictis abstinent, ne maledictis maledicta luant; dum non ignorant, quàm plurimos esse, qui haud secus talia excipiant, ac siluæ quædam, aut rupium cavitates, vel valles, in quibus Echo habitat, & plura quàm mittantur, verba ad clamantem remittit.

Matth. 7. Hoc est, quod dicitur: *In qua mensura mensu-*
 2. *eritis, remetietur vobis.*

§. II.

Diſteria diſterijs reposita.

Et quidem in conuitijs plurima quotidie audiuntur exempla, seu propter generis obscuritatem; seu propter patriæ ignobilitatem; seu ob inopiam; seu ob corporis defectum; seu ob ingenij, doctrinæ, morumque inelegantiam; aut alios quoscumque erro-

Plutarch.
in apoh-
teg.

res. De stirpis obscuritate Plutarchus refert, Iphicratem Hermodio ignobilitatem exprobranti respondisse: *Mei generis nobilitas à me incipiet, tua autem in te desinet.* Simile

Diogen.
Laërt. lib.
2. de Phi-
losopho.
Val. Ma.

quiddam, ob patriæ barbariem, recenset Laërtius, de Anacharsi; cui cum Atticus quidam obiecisset, quòd Scythia esset, dixit: *Mi-*
hi quidem probro est patria, sed patria tu. Apud

Vale-